

# IN OBITVM REVERENDISSIMI DO-

MINI, DOMINI EBERHARDI EPISCOPI AICHSTADIENSIS &c. FELICISS. MEMORIAE, AD

omnes Clariss. & nobiles viros atq; adolescentes de familia Hirnhaim natos, & hodie  
superstites, Magistri Hieronymi Ziegleri carmen Lambicum.

147



Olonis hæc quondam fuit sententia,  
Crēso, Cyroq; testibus.  
Beatus ante uitæ finem dicier,  
Nemo potest mortalium,  
Quamvis abundet is ter mille dotibus,  
T am pectoris, quam corporis:  
Subiectus est tamen fortunæ casibus.  
Quæ ludit atrox numine  
Suo, uices uarians, aduersa sèpius  
Rebus secundis ingerens.  
Excelsus alto qui uersatur tramite,  
Mox ille ad imum uoluitur.  
Quare tuos sublimes uultus ponito,  
Quisquis superbis turpiter.  
Quid te iuuat sublato crista uertice?  
Aut inclytum formæ decus?  
Quid proderunt gemmæ? quid aurū proderit?  
Cum mors acerba uenerit,  
Quæ ius suum non præterit, non negligit  
Metam suam, quam dat semel.  
Aufert dies quæcumq; uiuunt omnia,  
Cum fila rumpit A tropos.  
Virtutis unicum, & uerum semper decus,  
Vigens manet post funera.  
Vis nulla fati dotes frangit ingenii,  
A ter nec Orcus deuorat.  
Beatus ergo solus cui demortuo  
Precantur omnes optime:  
Cuius iam in ore laus uersatur omnium,  
Et quem boni optant uiuere,  
Quicq; optimè meritus fuit de singulis,  
Nulli grauis mortalium.  
Eheu quid infortunij attulit dies,  
Quæ quarta Julio fuit.  
A urora postquam Tithonum reliquerat,  
Diemq; Eoō duxerat,  
Tunc occidit columen Ecclesiæ suæ,  
Custos, Episcopus uigil  
Ebrardus alto natus quondam sanguine,  
Qua parte spectas Rhetiam.  
Arx est aucto & prisco dicta nomine  
Hirnhaim, quæ prima patriam  
Dedit, lenire primos infantis potest  
Hæc una uagitus probe.  
Puer statim bonas artes fœliciter,  
Mollire quæ mores solent,  
Discit, dies noctesq; per Germaniæ  
Scholas ubiq; gnauiter.  
Egressus ex Ephebis A usonas petit,  
Et legibus studet sacrīs.  
Postquam profundi iuris nouit tramites.  
Doctor creatur publice.  
Gentis uidet Romanæ sacra moenia,  
Quæ Tybris alluit potens.  
Regressus in Germaniam, sedes suas  
Salisburgi sibi præparat.

Quarta dies Iulii satis colluxit iniquis,  
Qua moriens iacuit presul in Aichstadio.

Hinc A ureatensis presul suscep̄tus es  
Suffragijs communib⁹.  
Plures tulit ciuiles tunc discordias,  
Bellis parato robore.  
Sed patriæ defensor, & uir prouidus,  
Vitare bella instantia  
Nouit, suisq; ciuib⁹ pacem facit,  
Hinc patriæ dictus pater:  
Defensor urbis, & spes certa pauperum,  
Suæq; gentis gloria.  
Doctos amauit, candide fouit pios,  
Quid non uides laudabile?  
Quis non doleret mortem tam grauis uiri?  
Quis flere nunc non posset?  
Si fata uos mouent quicquam communia,  
Ad busta flere uos decet.  
Sunt cuncta mesta, luctum signant omnia,  
Et ipsa dat luctum dies.  
Stant hic propinqui, stant fratres clariſſimi  
Viri: nepotes stant ibi.  
Matresq; scissæ stant comas, omnisq; adest  
Stirps exequias ferant pias.  
Stant clerici, sacerdotes mœſtissimi,  
Maiores cum minoribus:  
Tundunt manu infelices se, & pectora,  
Orbosq; se prorsus uocant.  
Stant ueste lugubri famuli, domini sui  
Deflere possint funera.  
Nec unda sufficit tot fletibus uirum:  
Nec est doloribus modus.  
Inuoluit atra Titan nunc sub nubila  
Caput suum, ruitq; nox.  
Armenta sentiunt dolorem protinus,  
Urbis ipsa facta tristior.  
Et ossa nostra concutit gelidus tremor,  
Ob casum tanti presul⁹.  
Inuictus hic, si mors non uicisset, foret  
Virtutibus clarus suis,  
Non uicit hæc tamen, sed soluit uerius  
Ligata membra corporis,  
Et spiritum cœlesti misit patriæ,  
Carnem relinquens uermibus.  
Hoc, ossa præfulis conduntur marmore,  
Quieta gaudent perpetim,  
Heic consepulta membra cura sedula,  
Superi Dei custodiunt.  
Pallas caput Musarum sacrum nomine,  
Custodit obseruantia.  
Ad dexteram sedet Themis, Concordia,  
Leuam tuenturq; Charites.  
Obseruat alma pax pedes, & molliter  
Corpus sinit quiescere.  
Quis ergo non beatum posset dicere,  
Hunc præfulem Christo auspice.  
Qui uixit omnis absq; labe criminis,  
Dignus cœlesti præmio.

Ingolstadij excudebant Alexander ex  
Samuel V Veissenbornij fratres.

1560.

